

jectionem, quod sint divinæ justitiæ effectus in hominum peccaminosorum poenam ordinati. Ad tertiam, quod creaturæ rationales non ad hanc sed futuram inprimis vitam sint conditæ. Accedit, quod probi, quamvis externe infelices adpareant, revera tamen improbis sint feliciores.

§. 8. Denique hic notandus venit *Hobbseus*, qui in *Lib. de Cive* peccatum atheismi refert inter *peccata imprudentia*, ita ut atheus non possit puniri ceu subditus injustus. enimvero quod atheus, summum *injustitiæ peccatum* perpetret, & sic non pro imprudente sed summe *impio & injusto* habendus sit, vel inde elucet, quod jus Dei tanquam superioris sui violet, dum eundem ceu Dominum agnoscere ac venerari intermittit, porro veram sui conservationem negligit, & denique securitatem ac pacem publicam impia sua opinione labefactat.

§. 9. Proinde atheus tanquam *injustissimus erga Deum, seipsum & alios* juste puniri poterit; æquitas tamen eundem non quidem *pæna capitali*, sed tanquam mente captum *perpetuo carcere*, usque dum resipiscat, multandum jubet. Add. *Jurispr. Div. posit.*

§. 10. Impugnant nostram thesin inprimis *Hobbseus* ac *Bayle*, negantes atheum juste puniri posse. Rationes *Hobbseii* sunt, (1) *quod atheus non agnoscat Deum superiorem, quodque ideo nullam legem habeat, contra quam peccet*: Ergo concludit, eundem juste pœnis affici haud posse. Resp. per ignorantiam affectatam non eludi posse jus alterius

rius